

tem, mittunt; qui secreto Pharon profectus, Paschalico legato incolarum voluntatem deferat: ni ibi inveniat, cum Phari magistratu colloquio habito, ut ejus rei nuntium ad legatum mittat: cum triremibus Agustum accedat, significet; statim, Epidaurii magistratu pulso, Reipublicæ legatum intromissuros, Venetaque vexilla erecturos. His de rebus certior Paschalicus factus, ad Senatum scribit: quanti momenti vel situ, vel opportunitate parva ea insula sit, ostendit; quam Reipublicæ intersit, si neglecti in aliorum Principum potestatem concedant: quæ Senatus sententia ac voluntas sit, exquirit. Nonnihil in se utilitatis contingere Agustanorum deditio videbatur; neque ab æquitate abhorrese, ut miserrima servitute pressi, atque Reipublicæ perfugium poscentes, in clientelam reciperentur. Attamen nemo ex præconsultoribus extitit, qui recipiendam Agustum censeret: *Minime justum videri, ut finitimarum distinctiones corripiantur: id & Venetis insuetum, & majorum institutis adversum, qui vel pro suarum rerum defensione, vel ad propulsandas injurias bella suscepérint: neque injuriā ab Epidauriis illatam fuisse, neque contumaces tueri diæquam causam arbitrari: tum insulam exiguum, neque incolarum numero, neque divitiis, neque ubertate ejusmodi esse, ut, si utilitate res metiatur, allicere debeat, cum præsertim nostri portibus, ac insula utantur; rem tanti non esse, ut aliorum invidia in Rempublicam excitetur: in Hispaniarum Regis tutela Epidaurios conquiscere; belli turcici superiori tempestate Pontificem eorum patrocinium suscepisse: tandem Turcarum Regis beneficiarios esse; multisque ab hinc annis ejus auspiciis umbram aliquam Reipublicæ ac libertatis retinere.* Itaque Senatu consulto datæ ad legatum literæ; Agustanorum homini Reipublicæ propensum in incolas animum significet: id & alias sæpe patefecisse, atque imposterum ostensuram: mox egregiæ in eamdem populi voluntatis gratias agat: ut Epidauricæ reipublicæ imperium æquo animo patientur, hortetur, donec felicia eorum votis tempora contingent.

Interea aliæ a legato literæ superveniunt; adhuc tumultuantes Agustanos ad sc Paschalem, Antonii filium,

*Senatus
decretem
de Agusta-
nis non re-
cipiendis.*

*Agusta-
ni alios
oratores ad
Paschali-
cum mit-
tunt.*

Ma-